

ad Marchiones Montisferrati Tridini Dominos rara, atque inedita comperit documenta, licet historiae suae minime necessaria vulgare tamen haud praetermisit.

Caeterum etsi darem studio antiquitatis abductum haud me potuisse continere, quin hac tam opportuna arcepta occasione, nonnulla de aliis Marchionibus Aledramicae stirpis sed pauca ederem, quae nec necessitas postulasset, nec etiam absoluta operis ratio sibi vindicasset, numquid aegre lectori ferendum, quod ista luce publica haud indigna, nec a materia prorsus absona in tanta qua nostris hisce ditioribus laboramus antiquiorum monumentorum penuria e tenebris educantur, ut inde aliarum civitatum historicis, qui exorientur, paretur materia, quae perpetuo fuisset silentio obducta, nisi capta occasio esset ea describendi, ac in aliorum beneficium deducendi? Quis itaque indignetur scriptori, qui cum pluribus possit prodesse, si paullulum e via divertat, idque parce ac raro haud facere praetermittat? Quis non indulgeat, non benignus interpretetur? Haec autem eo libentius hic profero, quo magis cupio, ut ea non tam huic primae parti illustrandae inserviant, in qua rara admodum ac pauca interposita habentur hujus generis documenta, quam ut illorum copiam in calce secundae partis conjectam lectores excusent, et in bonam partem accipiant.

Nunc aliquid addendum videretur de mea in hac adornanda collectione diligentia, quo et integrior evaderet, et numeris omnibus absolutior. Sed cum singulis quibusque locis quid a me praestitum sit adnotaverim, supervacaneum puto pluribus de hisce agere. Quantum enim studii ac inquisitionis adhibuerim, ex ipsius lectione facile quisque intelliget. Multa sane aliaque illustrandae historiae medii aevi aptissima monumenta potuissem producere, si publica Aquensia tabularia perstitissent, nec tot tamque gravia detrimenta, ac infortunia passa fuissent. Quis enim non doleat repetens notitiam et illarum scripturarum, quarum solum nudus titulus ad nos usque pervenit, vel librorum ac voluminum de rebus Ecclesiae, vel civitatis tractantium, quae ubi evolaverint, vel delitescant quis poterit divinare? Ex multis nonnulla nominabo, quorum contigit mentionem fieri in quibusdam, quas in earundem tabulariis reperi, notulis, ac libris. Sic in chartis saeculi XIV. nominatum legi volumen inscriptum *liber jurium, et instrumentorum capituli*; aliud sub eodem titulo de *juribus, atque instrumentis Ecclesiae*; item *synodarium Ecclesiae Aquensis. Libros investiturarum* meminit Guido II.

Felicius autem accidit, ut invenirem duas antiquas notulas scripturarum, quae in tabulario Episcopali saeculo XVI. asservabantur. Quamvis enim pleraque eorum, quae ibi recensentur documenta, nunc frustra requireres, attamen et jucundum est scire olim extitisse, et utile etiam ad nonnullae historiae Aquensis facta intelligenda, quae sine hisce adminiculis vix possent explicari. Quo ad alia vero, quae jam cognita habebamus, juvat etiam nosse olim in Episcopii tabulario membranas extitisse, quae nunc absunt. Non enim ibi nisi recentiora in papiraceis voluminibus exemplaria reperi. Posteriorum hic indicemus per numeros, quibus in nostra editione signantur (*), aliorum vero catalogos ad calcem operis producimus iisdem verbis, quibus fuerunt ea aetate confecti.

Neque harum solum chartarum amissio dolenda, verum et bibliothecae, quae in Ecclesiae Majoris secretario asservabatur. Hujus Bibliothecae omnis fere extincta fuisset apud

(*) 16. 22. 56. 87. 92. 123. 127. 136. 159. 179. 185. 186. 192. 193. 202. 213. 217. 246. 253. 262. 264. 276. 285. 291. 293. 295. 302. 355. 397. 405.